

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Liberalitas an
cum fontibus primis

Socrati cum multa quique pro suis facultatibus offerrent,
Escines pauper auditor ait: Nichil, inquit, dignum te quod tibi dare possem,
inuenio et ob hoc solo me pauperem esse sencio,
tamen dono tibi unum quod habeo me ipsum.
Hoc autem munus rogo qualecumque est boni cogites.
Alii enim cum multum tibi darent plus sibi reliquerunt.

Sed ego michi de me nichil reliqui.

Nemo enim plus tribuit quam qui sibi nichil relinquit.
Cui Socrates: Tu, inquit, magnum munus michi das nisi te tam paruo estimas.
Habebo itaque cure ut te meliorem tibi reddam quam accepi.
Ecce qualiter Escines hoc munere uicit

omnem iuuenum opulentorum munificentiam.
Vides quomodo animus inuenit liberalitatis materiam eciam inter angustias,

neque existimes illum uilem sibi fuisse, quia precium se sui fecit ingeniosus adolescens.

Non ergo quanta queque sint sed a quali prospiciendum est.

Ibidem (Seneca libro II. de beneficiis).

Socrati, cum multa pro suis quisque facultatibus offerrent,
Aeschines, pauper auditor: “Nihil” inquit “dignum te, quod dare tibi possim,
inuenio et hoc uno modo pauperem esse me sentio.
Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum.
Hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas cogitesque alios,
cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse”.

[fons nondum inuentus]

←

Cui Socrates: “Quidni tu” inquit “magnum munus mihi dederis, nisi forte te paruo aestimas?
Habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi”.
Vicit Aechines hoc munere
Alcibiadis parem diuitiis animum et
omnem iuuenum opulentorum munificentiam.
Vides, quomodo animus inueniat liberalitatis materiam etiam inter angustias?
Videtur mihi dixisse: “Nihil egisti, fortuna, quod me pauperem esse uoluisti;
expediam dignum nihilo minus huic uiro munus, et quia de tuo non possum, de meo dabo”.
Neque est, quod existimes illum uilem sibi fuisse: pretium se sui fecit. Ingeniosus adulescens
inuenit, quemadmodum Socraten sibi daret.
Non quanta quaeque sint, sed a quali profecta, scire proficit.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 1.8.1-1.9.1 (F. Préchac ed., vol.1, pp.14-15).

→

Nemo plus tribuit, quam qui sibi nihil relinquit.

Ambrosius Mediolanensis, *De uiduis*, 5.27 (F. Gori ed., p.270).